

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0595

0593

0599

0589

0604

0584

0644

0544

0694

0494

1094

0094

Ende

Anfang

22

Virginis augmentat. Unde ad angeli salutationem non legimus beatam Virginem laetitiae canticum depromsisse, sed ad salutationem Elisabeth jocundissime dixit: Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus etc. In hoc ergo loco angelica salutatio fuit completa et perfecta. Ideo omne gaudium, quod nos peregrini habuissetsemus in Nazareth, ad quam venire non potuimus, hic nobis accepimus, et tam cum angelo, quam cum Elisabeth repetitis vicibus: Ave Maria diximus, oscula dantes Virgini, sicut Elisabeth et salutavit et osculum dedit. Dicit enim devotus Bernhardus: Est tibi, o Maria, quasi osculum, audire hunc versiculum angelicum: Ave Maria. Et totiens oscularis, quotiens per Ave salutaris. Ad hanc enim salutationem coeli melliflui sunt, stellae rident, angeli jubilant, mundus exultat, daemones contremiscunt, inferna tabescunt, justi gaudent, peccatores sperant. Quapropter apud plurimos consuetudo inolevit, quod ad quamlibet orationem dominicam addunt semper Ave Maria, etiam in horis canonicas; quod tamen nonnulli dicunt non debere fieri, cum in ordinariis et notulis et rubricis de horis dicendis nulla fiat mentio de Ave Maria, cum Pater noster dicere praescribitur.

De hac re orta fuit disceptatio, ut a quodam accepi, inter praepositos et canonicos ecclesiae Bataviensis. Praepositus volebat, quod ad Pater noster adderent semper Ave Maria; canonici vero et clerici nolebant, dicentes, sibi non esse praescriptum in rubricis. Tandem autem pro pace et concordia facienda causa fuit ad Papam devoluta, qui ad partem affirmativam pro praeposito dissinivit, et bulla confirmavit, dicendum esse Ave Maria post Pater noster.

1678 Denique nostris temporibus innovata est antiqua Sanctorum consuetudo, qui solebant cum quinque Pater noster Deum orare, et cum quinquaginta Ave Maria beatissimam Mariam Virginem salutare frequentius in gratiarum actionem pro operibus redēptionis nostrae. Hanc salubrem consuetudinem paene abolitam in nostris partibus renovavit magnis laboribus egregius sacrae theologiae professor M. Jacobus Sprenger, Ordinis Praedicatorum, Conventus Coloniensis. Hic Magister et ego fuimus, ut ita dicam, collectanei, ambo in Conventu Basileensi induiti eodem anno, et anno revoluto professi in eisdem

